Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 797

Quelle:
Copyright:

ipſa per decurſum non niſi Litera miniata majuſcula ſe produnt, neque ſemper Editorum tenorem ſequuntur. Aſt quod Codicem omnibus Editis potiorem facit, *Caput* eſt *Geminum Libro I.* finem imponens, ἀνεκδοτον, cujus in lucem proferendi facultatem mihi gratulor. *Liber* dictus in Editis terminatur Capite X. En igitur

Caput XI. *Hec dicta ſint, necquid pretermiſiſſe de egyptiorum habitu uideamur. Ceterum a nobis tenenda ſunt illa tantummodo. que uel locorum ſitus uel prouintię uſus admittit. Nam neque caligis nos* (in occiduis, ut in Praef. dixerat, Galliarum partibus, Maſſiliae nempe degentes) *neque colobiis. ſeu una tunica eſſe contentos hiemis permittit aſperitas. et paruiſſimi* (etiam apud Varr. et Lucret.) *cuculli uelamen. uel melotis geſtatio deriſum potius quam edificationem ullam uidentibus comparabit. Quapropter illa tantum que ſuperius commemorauimus queque ſunt et humilitati profeſſionis noſtre et qualitati aerum* (dixerat in Praef. pro aſperitate aerum) *congruentia. a nobis quoque affectanda cenſemus. ut omnis ſumma noſtri ueſtitus non in nouitate habitus qui poſſit offendiculum hominibus huius ſeculi inferre. ſed honeſta in uilitate conſiſtat.*

Caput XII. *His itaque ueſtimentis Chriſti miles indutus nouerit prius ob id ſe cinguli conſtrictione munitum. ut ad cunctos uſus et opera monaſterii non ſolum mente promptus. ſed et ipſo habitu ſemper expeditus incedat. Tanto namque feruentior circa ſpiritalem profectum ac diuinarum rerum ſcientiam cordis puritate probabitur. quanto fuerit erga obedientię ſtudium operiſue deuotior. Secundo cognoſcat etiam in ipſo habitu cinguli ineſſe non paruum quod a ſe expetitur ſacramentum. Accinctio enim lumborum et ambitus pellis mortue ſignificat eum mortificationem circumferre membrorum. in quibus libidinis atque luxurię ſeminaria continentur. et iuxta euangelicum illud mandatum quo dicitur.* ſint lumbi ueſtri precincti. *apoſtolica interpretatione ingeri ſibi ſemper intelligens.* Mortificate *ſcilicet* membra ueſtra quę ſunt ſuper terram. *fornicationem. immundiciam. libidinem. concupiſcentiam malam. Ideoque illos tantummodo legimus in ſcripturis ſanctis cingulo fuiſſe precinctos. in quibus ſeminaria coitus inueniuntur extincta. quique illud beati dauid eloquium opere ac uirtute decantant.* quia factus ſum ſicut uter in pruina. *eo quod eraſa medullitus carne uitiorum emortuam exterioris hominis cutem ſpiritus uirtute diſtendant. Et idcirco* in pruina *ſignificanter adiecit. quod ſcilicet nequaquam fuerint ſola cordis mortificatione contenti. uerum etiam exterioris hominis motus. et ipſius naturę incentiua continentię pruina extrinſecus accedente habuerint congelata. nullum iam dumtaxat ſecundum apoſtolum regnum peccati in ſuo mortali corpore ſuſtinentes. nec geſtantes carnem ſpiritui repugnantem.*

Habes, quae *Hopperum, Cuykium, Ciacconium, Gazaeum* fugerunt,